

X 1862332

no. 27.

B. C. D.

II h  
674

DISSE<sup>T</sup>RAT<sup>I</sup>O  
*De*  
**DIIS, DE A BUSQVE  
VETERUM GENTILIUM  
MILICHIIS,**

Elaborata,

&

SUB PRAESIDIO

D<sub>N</sub>. L. ADAMI RECHENBERGII,

P. P.

DOCTORIS SUI VENERANDI,

IN ACADEMIA LIPSIENS<sup>I</sup>,

Ad d. IX. Septembris

A. O. R. M. DC. IC.

H. L. Q. C.

Censuris Eruditorum placidis  
Publice exposita

JOH. GOTTLIEB MILICHO,  
Svidnicensi Silesio

LIPSIAE,  
Literis IMMANUELIS TITH.



SUMMO. COELORUM. RECTORI.  
CUM. AETERNITATE. EXISTENTI. FUTURO, CUM. AETERNITATE.  
AETERNUM.

DOMINO. UNIVERSITATIS. POTENTISSIMO.  
EX. NIHIL. OLIM. OMNIA. PRODUCENTI.  
IN NIHILUM. OMNIA. REDIGERE. VALENTI.  
INFERNORUM. DOMITORI. FORTISSIMO.  
CUI. AMBITIOSA. ANGELORUM. COHORS.  
E. COELIS. DETRUSA. TREMEBUNDA. SERVIT.

## DEO.TER.OPTIMO.TER.MAXIMO.

TRINO. IN. UNITATE. IN. TRINITATE. UNI.  
FONTI. OMNIUM. BONORUM.

EX. QVO.

SALUS. OMNIS. OMNIS. JUSTITIA,  
SCATURIGINE. PERENNIS.

PROMANAT.

UBERRIMO. LARGITORI.

FELICITATIS. ET. BONORUM.

VINDICI. JUSTISSIMO.

DELICTORUM. SCELERUMQUE. HOMINUM.

INDULGENTISSIMO. TAMEN. SIMUL. PATRI.  
RESIPISCENTES. MOX. ITERUM. BLANDE. RESPICIENTI,  
PIIS. JUSTIS,

B E N I G N O.

CLEMENTI. MITI. PLACIDO.

ET.

MITIA ET. ITA. VERE.

## MILICHO.

CUI. SOLI. ET. UNICE. COMPETIT.

QVOD. COECA. GENTILIUM. SUPERSTITIO.

IMPIA. ET. VANA. PIETATE. IMPOSUIT.

VANIS. IDOLORUM. FIGMENTIS.

MILICHII. NOMEN.

BENIGNITATEM. PLERUMQUE. PRO. IRA. PRO. POENA.

CLEMENTIAM.

BONA. NOSTRA. FORTUNA. HABENTI.

ET EXHIBENDO. SE. ERGA. NOS. MITEM. PLACIDUMQUE.

SEVERAM. JUSTITIAM. VINDICTAM. JUSTAM. MITIGANTI.

DISSERTATIONEM HANC.

DE. DIIS. QVOS. GRAECI. FALSO. CREDIDERUNT. MILICHIIS.

ROMANI. VICTORES. GENTIUM. DEORUM. FICTORES. FACILES.

BLANDOS. MITES. PLACIDOS.

TORVO. SAEVO. IMPLACABILI, VULTU. ALIAS. TERRIBLES.

ABSQUE. JURE. NUNCUPARUNT.

PRIMITIAS. STUDIORUM. SUORUM.

D. D. D.

SIMULQUE. UT. SIBI. SEMPER.

QVO. IPSO. NUNquam. NON. FELIX. ERIT.

ADSIT.

## MILICHIUS.

SUBMISSE. PRECATUR.

AUCTOR.

JOHANNES. GOTTLIEB. MILICHIUS.

# LECTORI SALUTEM.



Gnotos hactenus majori orbis erudit*i* parti, ex ip*s*is  
ubi delituerunt, scriptorum monumentis, in lu-  
cem publicam Deos protraxi, ip*s*e ignotus. Auda-  
ciae in publicum prodeundi, certam me interpre-  
taturum veniam, ubi prius causas exposuero, con-  
fido firmiter. Milichius nomen meum penitus  
inspiciens, peregrinum id deprehendi; quam con-  
jecturam Jupiter Milichius, nescio quae in Xenophonte quaerenti occur-  
rens, firmiores reddidit: simulque ex Graecia originem ducere do-  
cuit. Lætitiam, quam exinde conceperam, deficiens plenior, accura-  
tiorque, de Jove Milichio, notitia oppressisset penitus; nisi Pausanias,  
qui Graeciam optime & accuratissime nobis descriptam dedit, spem  
erexit vacillantem, Jovis non solum aram, statuam: sed etiam  
aliorum Milichiorum Deorum sacra exhibendo. Cogitavi inde sem-  
per ad animum studiorum talium amantissimum recreandum, horum  
Deorum historiam paullo pleniores condere. Dum autem in Scri-  
ptores, qui antiquitates, Deosque veterum exposuerunt, inquiero:  
vix in ullo alio, quam in æterna fama dignissimi Reinesii, tria,  
tantum, aut quatuor verba, & in Lili Gregorii Gyraldi Deorum  
historia pauca itidem de Diis hisce, invenire quidquam potui. Vete-  
res hinc autores evolvens, quaedam ex iis decerpsi, quae in praesen-  
tem creverunt Dissertationem, fætum immaturum: quia primus.  
Expectabis autem hic frustra observationes philologorum eruditas,  
laboriosas; imo, si, quod verum est, dicendum, vanas plerumque Cri-  
ticorum conjecturas, ab homine quippe vix in limine literarum phi-  
logicarum constituto; Criticarum vero inutiles abhorrente Gor-  
dios nodos. Errores, quos forte deprehendes graviores, festinationi,  
quae ob certas causas adhiberi debuit, adscribas, rogo. Accuratio-  
rem fortassis haberes, si mihi tam beato esse licuisset, libros quosdam,  
quorum copia mihi fieri non potuit, perlegere. Placidum interim  
te exhibe hujus qualiscunque censorem; cum & ipsa contineat  
**DEOS PLACIDOS. Vale.**

SE-

adov  
SECTIO I.  
DE DIIS DEABUSQUE GRAECO-  
RUM MILICHIIS.

CAPUT I.

DE DIIS MILICHIIS IN GENERE.

§. 1. Vox Graeca. 2. diversa scriptio. Per q. imperite fit. 3. Quid significet? 4. Quac verba opponantur? 5. Additur rebus inanimatis, animatis, Diis. 6. Contraria Acoluthi sententia. Ejus laus. 7. Invenit veram linguam Aegyptiacam. Opus de ea promissum. 8. Vocem hanc ex Aegypto deducit. 9. Graeci ab Aegyptiis nomina DEorum habent. 10. Contempti ab Aegyptiis, sibi ipsi DEos finxere. 11. Natum in Graecia DEorum cognomen Μειλίχιος. 12. Unde Dii sic dicti? Scaliger correctus. 13. Sunt Orpheo inferi Dii. Quinam aliis? 14. Pausanias explicatus, Amasacus correctus. Diis superis mane, inferis noctis sacra facta.

§. I.

**D**eos exhibuti MILICHIOS, ignota hactenus plurimis nūmina, nomen prius merito considerandum ducimus: quod recepta inter autores tam veteres, quam recentiores sententia, Græcum omnino origine est.

§. II. Scribitur autem vel μειλίχιος vel μειλίχος: & utraque sive lectio sive scriptio se tuetur auctoritatis fundamento: cui quandoque accedit mutato χ. in κ. τ. μειλίκτος, quod tamen rarius usurpari observavi, praeterquam in composito αμειλίκτος. Non nulli etiam scribunt μηλίχιος, derivatione infra adducenda, ut Julianus Aurelius Lessigniensis lib. I. de Cognominibus DEorum p. 20. (α) Verum Johannes Brodaetus in Notis ad Lib. I. Epigr. Græc. p. 3. (β) ab imperitis tantum Grammaticis id fieri dicit.

§. III. Varie illud Interpretes reddiderunt; communis tamen translatio omnium est: *Blandus, Clemens, Jucundus, Mansuetus, Mitis, Placidus, Placabilis, Suavis, Tranquillus*, prout suo postea loco monebimus. Quibus etiam Hesychius accedere videtur,

(α) edit. Fra-  
nequer. 1696. 8.  
(β) edit. Fran-  
cof. ap. We-  
chelios. 1600.  
inf.



dum μελιχίος idem esse dicit ac πέριος ήδύς, ωφεληνής. Quae verba  
suavis, jucundus, blandus, mansuetus, interpretari solent.

(A) qnod ex  
variis Aucto-  
ribus colle-  
ctum Basileae  
1584. in f. pro-  
diit.

(D) in nitidissi-  
ma & elegan-  
tissima editio-  
ne Trajecti ad  
Rhenum 1689.  
in 8.

§. IV. Jacobus Cellarius, & Nicolaus Honigerus in Dictionario Græco-Latino (γ) opponi μελιχίω ex Hermogene τερέος dicunt, quod durus & rigidus sonat: id quod ipsis etiam facile largini possumus: saepius autem opponitur ἀμελιχός, & ἀμελιχίος, quod *implacabilem, durum, difficilem, immitem, & implacidum* denotat.

§. V. Adjicitur autem adjективum istud variis rebus: Inanimatis, veluti Orationi, μελίχιος μῆθη Homer. Pacata oratio: Vocī, μελιχον φωνὴ Orpheus, quod Renatus Perdrierius, seu qui illum correxit, Andreas Christianus Eschenbachius, (δ) blandam vocem reddidit: Reverentiae, αἰδὼς μελιχίος Hesiodus, quod Cornelius Schrevelius reddidit, reverentia blanda: Verbis μελιχίοισι λόγοις Pindar. ab incerto Interprete redditum, *blandis verbis*. Vitae, μέλιχος αἰών ibid. ab eodem redditum, *suavis vita*. Animatis deinde, v. g. hominibus, brutis quibusdam, prout infinita illud Scriptorum loca ostendunt. Donec postremo vani non solum Poetarum lusus, sed etiam observationes philosophorum ac theologorum Graecorum sanctiores accederent, & Diis suis quibusdam cognomentum istud tanquam aptissimum tribuerent.

§. VI. Antequam vero plenius hos in DEos inquiram; contrariam prius nostrae sententiam, e Graecia nempe cognomen istud DEorum neutiquam promanare, exponam. Suggestit illam in literis ad nos humaniter datis, vir linguarum Orientalium peritissimus, & decus Vratislaviae singulare M. Andreas Acoluthus Archidiaconus ibidem Neapolitanus, & Gymnasii Elisabethani P.P.

§. VII. Eruit hic e seculorum aliquot ruinis divina ingenii felicitate, veram Aegyptiorum linguam, eruditis hactenus omnibus, imo ipsi Athanasio Kirchero, gloriam tamen illius inventae jactanti, ignotam. Velo hoc aperto, ea se in omni doctrinarum genere videre posse dicit; quae & philosophis in Aegyptum migrantibus, & doctoribus omnibus hucusque occulta fuere. Exponet illud uberius in prodituro *Linguae Aegyptiacae Restitutae* Opere: quod, ut, superatis, quibus impeditur, oneribus, molestiisque, edat quamprimum, communes mecum sunt orbis eruditii preces.

§. VIII.



§. VIII. Aegyptum hinc antiquis temporibus orbis totius Academiam, templum idolatriae omnis patriam constituit hujus vocis, nulli haec tenus, ut putat, literatorum intellectæ: &, prout ipse suis auguratur conjecturis, inscrutabiles DEI cogitationes, & sapientiam ipsius summam innuentis.

§. IX. Graecos enim ab Aegyptiis omnem accepisse sapientiam, neminem facile illud negantem inveniri posse credit: Ad quos scilicet Graecorum Philosophi, ut mysteria ibidem Theo- & philosophica comprehenderent, frequentia fuerint profecti maxima. Ab his oīnia Deorum cognomina, quæ suis deinde in Graecia imposuerint, didicisse: Aegyptiis tamen veram nominum rationem ob invidiam reticentibus.

§. X. Verum enim vero, quamvis Aegyptii a Graecis fuerint habiti sapientissimi, plurimasque ab iis disciplinas acceperint; ipsi autem Aegyptii Graecos tanquam stolidos aestimarint: ut sacerdos quidam AEgyptius apud Platonem in Timaeo, ad Solonem dicere non veritus fuerit: *O Solon, Solon, vos quidem pueri semper estis: Senex autem Graecorum nemo.* Theodoretus Sermone I. & V. ad Graecos infideles p. 15. & 79. (ε) Tamen adduci eo vix possum, ut credam, tot sapientes intra Graeciam viros, philosophos accuratissimos & subtilissimos nec tantilli ingenii, imo judicii habuisse, ut nomen aliquod imponere potuissent DEO, effectibus ejus conveniens. Et quamvis Graeci illustres quosque AEgyptiorum DEos sibi sumferint, suosque fecerint; eruditissimus tamen Petrus Daniel Huetius in Demonstrat. Evangel. Proposit. IV. c. 8. n. 1. p. 85. (ζ) Graecorum DEorum indigenas non excludere videtur, cum dicit: *se in praesentia non disputare, quinam DEorum indigenae, vel advenae sint? Homerum praeterea, & Hesiodum magnam Theogoniae partem excogitasse, licet ejus praecipua capita, foris nata essent & extrinsecus quaesita.* Idem l. c. ex Herodoto egregie demonstrat.

§. XI. Quae cum ita sint, nihil certe obstabit, quin minus DEos μελιχίς in Graecia natos esse dicamus. Non solum enim Hesiodus antiquissimus Graecorum poetarum, cognomine illo jam Latonam veneratus fuit; verum etiam significatione Graecorum Diis illud convenientissimum est. Non tamen obluctabimur meliora de vocis hujus origine nos edocenti.

§. XII.

(ε) Edit. Friderici Sylburgii ex officina Commeliana 1592. in f.

(ζ) Edit. Paris. 1679. in f.

§. XII. Exposituri autem DEos μελιχίς, ante omnia considerabimus, unde ita dicti fuerint? Varias hinc auctorum sententias deprehendimus. Quidam enim ideo sic dictos volunt, quod immanibus, crudelibusque sacrificiis, ubi sanguine litabatur culti non fuerint: cuius tamen contrarium ex plurimis Dissertationis hujus locis mox patebit. Alii a mulcendo ita nominatos credunt, inter quos etiam Josephus Scaliger est, qui in primo Orphei hymno v. 33. μελιχίς θεός interpretatus est *Mulciberos DEos*: Rationem in notis addens, Homerum omne id quod igni domitum μελισσόμενον vocatasse. Cujus sententiam etiam doctissimus Condomensis episcopus suam facit, Propos. IV-c. IV. n. 8. p. 70. *Mulciberum* idem esse, ac μελιχίδην. Sed debuisse omnino Scaliger vertere *mites DEos*, vel *blandos*, ut aliis interpres in editione heroicorum Graecorum poetarum (η) comparens, quia Poeta mox v. 18. 19. precatur, ut omnes Dii, quos invocaverat, mites & laeto Numinis ad sua februa, & litamina sacri inferii venirent. Alii rursus, quae sententia & mihi optime arridet, nomen accepisse vel a benignitate, vel a mansuetudine, quam hactenus suis exhibuerint cultoribus, existimant. *Prisci enim Heroes propter res praecellare gestas & beneficentiam Dii ab hominibus habiti sunt. Hinc orti omnes ethnicorum Dii. Hinc & Reges plerique divinos honores consecuti sunt.* Huetius Propos. III. n. 18. p. 31. vel boni omnis ergo sic vocasse DEos, ut precibus suis se imposterum praebant blandos, mites, placidos, i. e. ut annuant, sibique sint propitii.

§. XIII. Quinam autem Dii isti fuerint, non adeo in comperto est: nullis enim literarum monumentis contineri nomina illorum observavi. Johannes Brodaeus in Notis ad Lib. I. Epigr. Graec. p. 3. Orpheum in loco §. praecedenti allegato θεός μελιχίς, κατ' εὐφημισμὸν, ut Latini, Manes nominasse infernos Deos scribit. Id quod etiam a vero abesse minime videtur. In ipso hymno enim se februa celebraturum dicit poeta: quae pro impetranda mortuorum animabus quiete, & dubio procul inferis Diis fiebant, Meminit & ibidem libaminum inferii sacri. Ut omnino exinde sequatur, infernos hic intelligendos esse DEos; imo in Parfaniae mox exhibendo loco: prout ibidem docebitur. Coeterum iu poetarum, historicorum & philosophorum scriptis inveniun-

(η) quam pro-  
curavit Jaco-  
bus Lectius  
Aureliae Allo-  
brogum 1606.

in f.

niuntur ex Diis μελιχίοις, Jupiter, Mars, Bacchus, Pan, Venus, Latona, Musae, suis quique capitibus exponendi.

§. XIV. Locus, ubi Diis Milichiis sacra facta sunt, locus erat apud Myonenses & ara DEorum μελιχίων, ut Pausanias Lib. X. cap. 38. habet (θ). quam in montis vertice fuisse, Lilius Gregorius Gyraldus in Syntagm. DEorum Histor. II. p. 80. (ι) addit. Nocturna his peracta fuisse sacra, idem tradit Pausanias, in quibus ante Solis exortum carnes victimarum absumere eodem ipso in loco, solemne habuisse. Ex quibus omnibus patet lucum & aram inferorum DEorum fuisse: sicque Romulum Amasacum dum mites reddidit, sensum haud assecutum esse verum, cumque clariorem reddidisse, si infernos interpretatus fuisset. *Matutinum enim tempus sacrificiis DEorum superiorum, idoneum estimarunt, cum D̄eos tunc assidere templis, & matutinis salutationibus adesse, opinio foret.* Alexander ab Alessandro lib. IV. Genial. Dier. cap. 17, Et Natalis Comes Mythol. lib. I. cap. 10. e Callixeno Rhodio in iis, quae de Alexandria scripsit, τοῖς δὲ σηραγίδαις οὐαο τὴν ἔω τῷ ηλίῳ ἀνατέλλοντο ιερέυομεν; At coelestibus Diis aurorae tempore sub exortum Solis sacrificamus; uberiorius id persequitur. Inferorum autem DEorum sacrificia non nisi per noctem fieri consueville, idem tradit. c. 12. & Virgil. lib. VI. *Tum Regi Stygio NOCTURNAS inchoat ARAS.* Qui idem eodem libro v. 534. Inferos, mortuorum sedem, *sine sole domos* dixit.

## CAPUT II. DE JOVE MILICHO.

- §. 1. *Varia cognominis Milichii interpretatio.* 2. *Unde sic nominatus?*  
Plutarchi, Aristidis, Phornuti, Aristotelis concordes sententiae.  
3. *Jove irato & clemente, quæ mala, quæ bona?* Clementia ejus a Clemente Alex. irrifa. 4. *Celebris inter Graecos, maxime Athenienses.* 5. *Ejus apud eosdem ara.* 6. *Simulacrum ejus apud Argos.* quæ causa dedicandi? Signum apud Sicyonenses 7. *Gru-teri monumentum Messanense.* Textus ipsius. 8. *Siciliae asserta.* 9. *Jovi Milichio immolatae, non fruges, nec poma, nec fictae, sed verae victimæ.* 10. *Meursius explicatus per Thucydidis & Suidæ loca.* Eusebii lectio falsa, correcta por Huetium. 11. *Meursii obser-vata de festo Jovis Athenis.*

B

§. I.



§. I.

Upiter nunc prodit Milichius, diversam a diversis sortitus nominibus expositionem. Domitius, a Gyraldo allegatus, jucundus: Mitis, Phornutus latinus: Clementis Alexandrini Interpres, Clemens: Placidus, Ronulus Amasaeus: Guilielmus Canterus, Mansuetus: Blandus, Guilielmus Xylander: Vitus Wimserius, Benignus: Placabilis, Guilielmus Budaeus: Alii, alio modo reddiderunt; omnes tamen in eo conveniunt, quod propria ipsi pro indole sua attribuerint nomina.

§. II. Dictus autem μειλιχίον a benignitate & mansuetudine exhibita, exhibenda certe fuit. Plutarchus id ipsum expressis innuit verbis, in libro de cohibenda ira (κ) ex interpretatione Guil. Xylandri sic dicens: *DEorum Regem μειλιχίον*, quasi mitem & blandum Athenienses vocant. At supplicia exigendi vis, non divina, non cœlestis est, sed furiis & geniis convenit. Cui accedit Aristides (λ) Hymno in Jovem εἰδὲ πησφαλλόμεθα, ο μειλιχίον ἡμῖν κεκληθώ: quod si alicubi fallimur, ipse nobis benignus adesse dignetur. Interpretate Guil. Cantero. Et in hoc ipso hymno mox inter alia Jovis cognomina μειλιχίον habet: Rationem addens εἰνότως ὁ τε καὶ πάτηρ. Hic mansuetus quippe Pater. Cujus, mansuetum & placidum se liberis exhibere, esse solet cura praecipua. Quibus se jungit Phornutus

(κ) p. 420. Tomo II. Operum edit. Francof. 1620. in f.  
(λ) editus ex officina Pauli Stephani in 8.  
1604.

(μ) inter opuscula Mythologica, Ethica & Physica, quae Thomas Gale Cantabrigiae 1671 in 8. edidit.

in libro de DEorum natura p. 12. (μ) ex interpretatione Conradii Clauseri ita inquiens: *Jovem & Placidum* (*μειλιχίον*) nominant, quod sit facilis & placidus iis, qui relictæ in justitia, ad iustitiam conficiunt. Nec Aristoteles c. 7. de Mundo, ab horum recedere videtur sententia, cum dicit: Unum esse DEum diversis nominibus nuncupatum a suis omnibus effectibus, quorum specimen ipse edere solitus fuerit, & appellatum esse Zena, & Dia: addit deinde inter alia, quæ ibi habet cognomina, etiam μειλιχίος, quod Guil. Budaeus placabilis reddidit: ut jure optimo Josephus Scaliger in Orphei Hymno in Genium, v. 2. μειλιχίον Δία interpretatus fuerit *Mansuetum Jovem*; quosque §. I. adduximus securi de versione sua possint esse interpretes.

§. III. Hunc tamen DEum, qui non rite ipsi sacra fecerant, experiebantur aversantem. quod ipsum Xenophonti, qui rem sacram quamdiu a patria abfuerat, non fecerat huic DEO, accidit;

Lamps-

Lampsaci id ipsi significante Euclide Phliasio vate, quod ipse libro VII. circa finem de expeditione Cyri testatur. (v) Amicum contra (v) editionis DEum hunc habentes, ab omni malo, infortunio omni immunes Leunclavii credebant. Imo Leontis philosophi epigramma lib. I. Florilegii Græcor. epigr. ab ipsa morte eos liberos pronuntiat.

μηδὲ νοῆσο,

Ζῆνος μειλιχίου λαχὼν Θρόνον, ἀνέρθυστον  
Quod Eilhardus Lubinus ita latine vertit:

Neque unquam videam,

JOVIS CLEMENTIS thronum affecutus, alicujus viri mortem:  
Quamvis alii, inter quos etiam Gyraldus, vertant ὄντον perniciem:  
cum omne genus infortunii vox haec involvat. Sed non immer-  
to Clemens Alexandrinus in admonitione ad gentes p. 8. (ξ) ridet,  
post alia Jovis cognomina, etiam μειλιχίον, quod interpres reddidit  
*Clementem*: destituitur quippe clementia, effectibus, quos ipsi alias  
adscribunt, omnibus, imo ipsa sua essentia.

(ξ) Editionis  
Heinsianaæ  
quæ Lugd.  
Bat. prodiit.  
1606. f.

§. IV. Jupiter hic MILICHIUS Graecos inter maxime cele-  
bratus: Atheniensibus tamen domesticus quasi fuit. Plutarchus  
enim non solum id expresse docet; sed etiam Xenophon Athenien-  
sis, dum ipsi patro more litaverit. Imo Thucydides festum ejus-  
dem inter Athenienses memorat, prolixius a nobis infra exponen-  
dum. Ex quibus fortassis sua, quae ad Xenophontem margini ad-  
jecit: cognomen nempe hoc Jovis apud Athenienses esse, hausit  
Leunclavius.

§. V. Cum igitur ita inter Athenienses cultus fuerit, apud  
eosdem quoque aram meruit MILICHIUS Jupiter. Id quod ta-  
men in nullo auctorum expressis positum verbis, invenire potui.  
Pausanias equidem lib. I. c. 37. trans Cephissum PLACIDI Jovis (MILI-  
CHIUM nuncupant) veterem esse aram, dicit. Verum cum fluvius  
Boeotiae ex Parnasso sit Cephissus; incerta omnino res maneret;  
nisi dubium Strabo lib. IX. Athenis Cephissum fluvium esse scribens,  
auferret omne. Ara haec celebris, imo notanda, ob Theseum a  
caede in latrones, cognatumque sibi perpetrata, expiatum ibidem:  
Sepulchris itidem Theodectis, Phaselitae, & Mnesitheo, meden-  
di arte, signorumque multorum dedicatione clari, fuit quam ma-  
xime.



§. VI. Ipsum autem Jovis MILICHII ( quem Amasaeus mansuetum hic nuncupat ) simulacrum Argis conspic, idem Pausanias lib. II. c. 20. auctor est. E candido illud marmore confectum Polycleti opus esse credunt. Dedicationis autem civilem, ob Bryantis ducis libidinem, crudeliter effusum sanguinem expiandum, certam eamque veram dicunt causam. Signa non minus Sicyone MILICHII Jovis & Diana Patroae, rudia tamen, & sine ulla arte facta, fuisse visa : illius pyramidis, columnae hujus figuræ habentia, saepius allegatus Pausanias lib. II. c. 9. testatur.

§. VII. Gruterus quidem in aeterno inscriptionum opere pag. CCX. è Pinelli schedis grandis tabulae, Messanae existentis, & rerum variarum divisiones, terminosque varios continentis Epigraphen Graecam, Latina simul addita exhibet: in quo Jovis etiam MILICHII mentio occurrit aliqua, verum cum incertum sit, utrum ex Graecia in Siciliam fuerit translata haec tabula; an Messanae confecta, erectaque; hac in re quid certi statuamus, minus invenimus. Ipsa autem epigraphes hoc facientia verba ita sonant: ΑΠΟ ΤΑΣ ΟΔΟΥ ΤΑΣ ΖΕΝΙΔΟΣ ΤΑΣ ΟΔΟΥ ΤΑΣ ΠΑΡΑΤΟ ΜΕΛΙΧΙΕΙΟΝ ΕΣ ΤΟΝ ΡΟΙΣΚΟΝ ΚΑΙ ΚΑΤΑ ΤΟΥ ΡΟΙΣΚΟΥ ΕΣ ΤΑΝ ΣΥΜΒΟΛΑΝ ΤΟΥ ΡΟΙΣΚΟΥ ΚΑΙ ΑΝ ΤΟΥ ΡΟΙΣΚΟΥ ΕΣ ΤΑΝ ΟΔΟΝ ΤΑΝ ΖΕΝΙΔΑ ΑΚΟΛΟΥΘΕΙ ΤΩ ΚΑΡΩ ΤΟΥΤΩ ΤΟΥ ΔΟΡΤΟ ΕΚ ΤΑΣ ΚΡΑΝΝΑΣ ΚΑΙ ΤΟΥ ΒΑΛΑΝΤΟΥ ΤΟ ΑΠΟΡΡΕΟΝ:

Versio e regione posita sic se habet:

A via peregrina, ex ad adverso viae, quae est ad JOVIS MILICHII ad rivulum & arivulo ad viam peregrinam, sequuntur sortem hanc IV. fines, a fonte & balnei deslunium.

§. IIX. Ex ipsis certe his verbis, nihil colligi posse nemini non apparet. Si autem quid nobis videatur, dicendum: Jovis vel templum, vel aram, vel statuam, ( unum enim ex his versionis verba innunt) omnino in Sicilia fuisse credimus. Graeca etenim tabulae inscriptio, Messanam e Graecia translatam fuisse, non probat. Siculis siquidem lingua Graecorum ignota haud erat: loquebantur Graece, quamvis corrupte: gerebant, multa & diurna cum Graecis bella. Praeterea Messana, ubi tabula extitit, a Messenis Peloponensi populis condita perhibetur: qui omnino Jovis hujus notitiam, ab aliis Graeciae gentibus accipere, eamque in Siciliam transportare potuerunt: ut exinde siculi ipsi etiam sacra instituerent.

Acce-



Accedit illud etiam, quod in dextra tabulae columnae Alae*sii* fluvii  
mentio occurat, qui vel nomen ab Alaea celebri Siciliae urbe acce-  
pit, vel ipsi dedit. Nec nomen *μειλιχία* adeo incognitum Siculis  
fuit; cum agro Syracusano fontes *Milichae* extiterint.

§. IX. Variae interim auctorum circa modum MILICHO  
Jovi sacrificandi sunt sententiae. Quidam enim nullum animal  
ipsi immolatum; sed tantum pomis, quae Graeci *μῆλα* vocarunt  
sacra facta fuisse putant: ut Jul. Aurelius Lessigniensis lib. I. de co-  
gnominibus D<sup>E</sup>orum p. 20. Ludovicus Vives in notis ad Augusti-  
ni lib. VII. cap. II. de C. D. Sed quam perite id statuatur, Brodaeum  
vide in notis ad libr. I. epigr. Graec. Aurelii sententiae etiam sub-  
scribit Vitus Winsenius interpres Thucydidis, qui in notis ad eum  
marginalibus: *Athenienses MILICHO Jovi frugibus terrae sacri-  
fasse: Imo etiam benigno & placato DEO frugibus litandum esse scri-  
bit.* Nec multum ab iis recedunt, non veras, sed assimulatas &  
factas immolasse ipsi victimas, ex Thucydidis Historiar. lib. I. afferen-  
tes. Verum contrarium statim ex alia, quam Gyraldus in vetusto  
Codice vidit, textus Thucydidis lectione patet: quae ita se habet:  
*ἐν τῇ πανδημῇ θύσει πολλοὶ ἥχιερεῖα μόνον, ἀλλὰ καὶ θύματα θη-  
χωέja. in qua totius populi celebritate, multi sacrificant, NON VI-  
CTIMAS modo, sed & sacrificia vel ludibria indigena.* Cui Andreas  
Tiraquellus quoque in notis ad lib. III. c. 12. genial. dier. Alexandri  
ab Alex. assentitur. Xenophon etiam Jovi MILICHO *porcos in-*  
*tegros exussisse ritu patrio, & sic perlitassem, de se ipso lib. VII. de ex-*  
*peditione Cyri p. 425. scribit.* Suidas praeterea in *διὸς νάόιον* habet:  
quod pellibus victimarum quae Jovi MILICHO & Ctesio immo-  
latae fuissent, illi qui pompam umbellae portandae, in festo Miner-  
vae, quod *Σκιερά* dixerint, usi fuerint, Meursius lib. VI. p. 255. Graeciae  
feriatae (o)

§. X. Festum nunc ab Atheniensibus Jovi MILICHO insti-  
tutum venit considerandum: quod Meursius lib. II. Graeciae feria-  
tae p. 93. descripsit quidem; non observavit tamen Jovis id fuisse  
MILICHI. Potuisset hoc ipsi monstrare non solum Thucydidis  
lib. I. Historiar. locus: *ἔστι γάρ καὶ Ἀθηναῖος ΔΙΑΣΙΑ, ἀκαλεῖται*  
*ΔΙΟΣ ἐορτὴ ΜΕΙΛΙΧΙΟΥ μέγιστα.* Quem locum Vitus Wimse-  
nius sic latinum nobis dedit: *Nam & apud Athenienses sunt JOVIA-*

co edit. Lugd.  
Bat. 1619. 4.



it. latinae  
editionis Sui-  
dae Basil. 1564-  
inf.

LIA, maximus dies festus, quae a JOVE MEILICHIO nomen habent : quae Laurentius Valla etiam *Dialia* interpretatus est ; sed etiam, Stidas ΔΙΑΣΙΑ. ἐορτὴ ἀθλητῶν ΜΕΙΛΙΧΙΟΥ ΔΙΟΣ, quae verba Hieronymus Wolfius (w) sic vertit JOVIALIA festum Athenis BENIGNI JOVIS. Quod ipsum etiam Huetius affirmit p. 70. dum , de Jove MILICHIO loquens , Διάσια in honorem ejus instituta fuisse apud Athenienses scribit : ubi simul Philoneim Byblium, qui apud Eusebium , de Vulcano differens : καλεῖος αὐτὸν καὶ Διαμίχιον ait, corrigit. quod etiam Bochartus lib. II. cap. 2. Chan. exponit Jovem Machinatorem, ab Ebraica voce machinam significante ; sed perperam. Vera enim, quam Huetius restituit, lectio esse debet Διά μειλιχίον.

§. XL. Ipse autem Meursius l. c. ex Theodoreti sermone VII. adducit : *Diis Daemonia, dies solennes, ceremonias, populariaque convivia celebrari instituisse, suis quaque nominibus ac titulis insignita: Jovi Pandia & Diaſia, Heraea vero Junoni* : ut vertit Zoenobius Acciajous in editione supra memorata. Intermissa haec ab Atheniensibus multos per annos e Luciani Icaro Menippo & ex ejusdem Timone splendide festa haec agitare Athenienses confueville, idem habet. Parentes item tunc temporis liberis munuscula emisse, probat ex Aristophanis Nubibus, ubi Strepsiades Phidippidem filium suum ita alloquitur :

'Ον πρῶτον' ὄβολὸν ἑλαῖον ἡλιαστικον,  
Τάττε περάμιν σοι Διασίοις ἀμαζίδα.

(e) quae Colo-  
niae Allobro-  
gum 1614. in f.  
prodijt.

Quos versus incertus interpres, qui est in editione poetarum Graecorum veterum (e) ita reddidit:

Plostellum emi tibi festo Dialium  
Obolo. quem primum pro mercede acceperam,  
Quod Heliaeο interfuissem judicio.

Acta haec idem putat Munychionis ( quem alii Januarium , alii autem, ut Gaza rectius, Martium dicunt,) die decimo nono fuisse , in quo teste Plutarcho, in Phocione, ex interpretatione Hermanni Cruxerii: pomparam Jovi agentes prætervehebantur equites.

## CAPUT

## CAPUT IH.

### DE MARTE MILICHO.

§. i. Cur Mars hic apparcat? 2. a quo vocatus μελιχος? 3. Im-  
mitis alias. 4. Non Cadmus hic intelligitur. 5. Sed ipse Mars  
cum armis immanitatem deponens. 6. Sacrorum ejus nullibi  
mentio.

#### §. I.

**V**Ix auderemus saevissimum Martis numen, cuncta aspectu suo  
terrens, hic sistere; nisi & ipsum inter MILICHIOS compa-  
reren Deos.

§. II. Quod autem ita vocetur, nemini, quam Nonnio ace-  
ptum referri debet: qui dum Dionysiac Graecorum libro-  
rum carmine describit; lib. V. v. 94. Μελιχος Άγος ipsi etiam adest.

§. III. Mirabuntur fortassis, qui haec legent, unde poeta  
maxime immanem DEorum, elogio hoc miti mactaverit? & habent  
omnino cur mirentur, causas non leves; maxime ubi infra cap. 4.  
Seet. II. legerint, quibus insignitus nominibus apparere alias fo-  
leat.

§. IV. Primo equidem intuitu, poetam, Cadmum de quo  
ipsi sermo est, innuisse alicui videri possit: qui jam nuptias celebra-  
bat superatis, quibuscum ipsi res erat molestiis, hostibusque, ob-  
praeclaris, quibus funetus fuerat facta, jure meritoque Mars dictus:  
Hermiones inter amplexus nunc quasi mitescens.

§. V. Verum Cadmi historiam accuratius inspicienti, ipsum  
bellorum inter gentiles praesidem, Martem hic intelligi debere, fa-  
cile patebit. Cadmo enim cum Hermione Martis Venerisque plu-  
rimis credita filia, connubia celebrante; omnes dii reticto coelo ad  
solemnia haec venerunt, Natal. Comes l. IX. c. 14. Mythol. inter  
quos dubio procul Mars quoque fuit. Et quidni accederet; cum fi-  
lia jam nuptias faceret? Describit praeterea ipsum poetam, nudum &  
fine hasta saltantem: cum quibus armis immanitem quoque depo-  
suit: ut omnino hoc tempore μελιχος, mitis, ut interpres anony-  
mus vertit, esse potuerit.

§. VI. Cultus autem ipsius, sacrorum, & quibusnam hoc no-  
mine



mine affectus sit populis, nulla ullibi extant vestigia. Ut non immerito quis dixerit, vanum tantum otiosi poetae lusum esse.

## CAPUT IV. DE BACCHO MILICHO.

§. I. *Bacchus Milichius, 2. quibus sic vocetur? 3. Causa hujus appellationis. 4. Quo nomine apud Lacedaemonios cultus? Error Alexandri ab Alexandro, itemque Tiraquelli. 5. Ceres, ficus inventrix, Pausaniae. 6. Athenaei & Pausaniae conciliatio. 7. Ficulnea Bacchi Milichii apud Naxios facies; eadem Rexibii statua. 8. Plutarcho ob aliam causam dictus μειλίχιος Bacchus.*

### §. I.

**B**acchum, cum jam bis natus fuerit, hic iterum non immerito producimus, tigridibus, lyncibus, pantheris alias comitatum; & ideo terribilem; MILICHIUM tamen.

§. II. Nomen, qui ipsi primi dederunt, Naxii, insulae ē Cycladibus incolae, fuerunt. Sic enim Athenaeus lib. III. Deipnosoph. Νάξιοι ΜΕΙΛΙΧΙΟΝ καλεῖσθαι τὸν Διονυσόν. quod Jacobus Dalechampius ita vertit: *Naxiis Bacchus MEILICHIUS appellatur.*

§. III. Causam, cur ita nominetur, idem Athenaeus I. c. tradit: Διὰ τὴν Ἀσκήσην καρπὸν τοῦ δέρματος: quod mortalibus sicum dederit. Ficus enim μειλίχα Naxii vorant.

§. IV. Eundem cum Naxiis ficus inventae honorem ipsi tribuerunt Lacedaemonii: apud quos Sycitem, quod peraeque significat atque ficulneum, cultum fuisse eī Sosibio, Andr. Tiraquellus ad c. 4. lib. VI. Genial. Dier. Alexandri ab Alex. tradit. ubi tamen minus recte cum ipso Alexandro, MILICHIUM quoque ibi fuisse credit; cum apud solos Naxios nomine hoc fuerit cultus.

§. V. Pausanias tamen Lib. I. c. 37. Cererem ficus inventricem facit: quae Phytalio in gratiam exhibiti liberaliter hospitii, stirpem illius dedit. Adducit hanc ob causam ibidem Phytalii sepulchri inscriptionem:

Ἐντε δ' ἀναξῆρες Φυλαλός ποτε δέξατο σεμενὴν  
Δύμητραν, ὅτε τερῶτον ὄπωρας καρπὸν ἐφηγεν,  
Ὕνιερεν συκῆν θυητῶν γένος ἐξονομάζει.

Hic:



Hic Cererem tectis Phytalus susceperebat heros,  
Cui primum sacri largita est semina pomi,  
Quam moriale genus sicum vocat.

§. VI. Horum auctorum sententiis consideratis, sibi invicem contrarios esse, primo quidem intuitu videntur: Athenaeo, Baccho, Cereri Pausania adscribente ficus inventionem. Verum utriusque salva esse poterit sententia; cum Pausanias de Cerere loquatur, Phytalo tantum ficus stirpem tradente; Bacchus autem apud Athenaeum mortalibus coeteris dederit ficum.

§. VII. Ficulneum Naxii MILICHO Baccho erexere simulacrum: ita enim Athenaeus l.c.habet, Άργειον τὸ αφεσωτόν τὸ Θεὸν  
θύραῖς Νάξιοις τὸ μὲν τὸ Βακχέον Διονύσον, καλγμένον εἶναι ἀμελέλινον, τὸ δὲ τὸ ΜΕΙΛΙΧΙΟΝ συκιον, h.e. ob eandemque rationem apud Naxios Bacchi, quem Dionysium vocant, ex ligno virtus facies est; illius vero quem Meilichium nuncupant e fico. Quamvis enim ficus lignum inutile alias habeatur; non tamen insolitum adeo fuit statuas ex illo efficere. Siquidem Rexibii Opuntii, qui LXI. Olympiae pancratiastas perculit, ex eadem materia fuit statua, teste Pausan. lib. V. c.18. inf. Sycitis etiam Bacchi, qui idem cum Naxiorum MILICHO fuit, faciem Lacedaemonii musto intingere, & fucis ornare svererant. Alex. ab Alex. c. 4. lib. VI. Genial. Dier.

§. IX. Seposto autem, quod Naxii Baccho a ficubus dederunt, cognomine, ad aliam nos ejusdem cognomenti convertimus derivationem. Dedit illam Plutarchus I. de esu carnium oratione: Διόνυσον ἡμερίδιν ΚΑΜΠΙΛΙΧΙΟΝ, & ex interpretatione Xylandri Comētē ΚΑΜΠΙΛΙΤΙΛΜ appellans. Hic eundem a ficubus profecto MILICHIUM haud vocat, sed a suavitate, vel sua, vel vinorum, DEus quorum esse, gentilibus fingebar. Idem in Antonio Διόνυσον ΧΑΞΙΔΩΤΙΝ ΚΑΜΠΙΛΙΧΙΟΝ, benignum & blandum Bacchum habet: quo elogio Antonius Bacchum imitatus, & ob id Bacchus minor vocatus, Ephebi a foeminis Baccharum, viris puerisque Satyrorum, & Panum habitu, ipsum urbem eandem ingredientem praecedentibus, in aetatus fuit.

## CAPUT V. DE PANE MILICHO.

¶. I. Pan Milichius. 2. Nonno sic dictus. 3. maxime deformis. 4. Antigonus Macedoniae Rex, Panos honore cultus. Effigies Panos μειλίχος. 5. non creditus, qualis pingebatur. Causae curuntur ληχίος dictus fuerit?

### §. I.

Bacchum, fidus quandoque socius Pan sequitur, Mercurii filius caprinis deformis pedibus: celebre Arcadiae Numen: quod universam quoque naturam plurimi crediderunt, MILICHIIS hie se ingerens Diis.

§. II. Iis autem inseruit Nonnus lib. XXIX. Dionysiac. v. 313. Bacchi in expeditione Indiae socium describens, pugnantem cum hostibus. Ita autem de ipso:

*Ἄγειος δὲ τόδεωσιν ἐμάρνατο ΜΕΙΛΙΧΙΟΣ ΠΑΝ  
Caprinis vero pedibus pugnabat suavis Pan.*

§. III. Cur vero dictus ita fuerit, causam investigare adhuc nullam potui; cognomen econtra tale ipso minime convenire, certior est conjectura. Quis enim μειλίχος vocaret, cornibus pedibusque caprinis, hirci cauda super natibus non tam conspicuum, quam deformem? At talem Pani plerique, qui ejus mentionem faciunt, scriptorum, formam fuisse, asserunt constanter.

§. IV. Laurentius praeterea Begerus, vir doctissimus, in Thesauro Brandenburgico, p. 247. Antigoni Macedoniae regis numismata exhibet: ex quo ipso eundem regem pro Arcadibus pugnatum, Panos habitu effictum, affectum honore Panos, demonstrare nititur. Et convenit certe numi effigies Panos cum simulachro; ubi inter alia celeberrimus Begerus evincit, quod Antigono, in Nume sit ὄβης αἰματίχος effigies implacabilis: quae de Pane etiam memorat Homerus in hymno, quem ipsi scripsit, ubi sic habet:

*Δῆσε γὰρ ὡς ἴδεν ὄλιν αἰματίχον ηὔγενον  
Metuit enim ut vidi faciem implacabilem hirsutam.*

§. V. Sed quanvis ita deformitate sua cunctis invisus fuit, maleque audiat; quamvis αἰματίχος Homero sit; μειλίχος ta-

men



men esse poterit Pan. Praeterquam enim quod non crederent esse DEum hunc talem, qualem ipsum pingerent, sculperentve; ut Herodotus in Euterpe ait: (cujus versionem quam Natalis Comes Lib. V. c. 6. Mythol. exhibet, omisso prolixitatis vitandae gratia, graeco textu, hic dare tantum volumus) pingunt vero & sculptunt pictores ac statuarii, sicuti etiam Graeci, Panos imaginem, caprina facie, ac chirri cruribus: non quia illum hujusmodi esse arbitrentur, sed similem Diis coeteris. illud etiam accedit; quod suaviter admodum cecinerit fistula: cumque aliis, ut Orpheo, universa natura, Pan intellectus sit; cur eandem cognomine hoc minus decoremus, ratio certe est nulla: quae mansuetam mater esse, cunctisque benignam, blandam, mitemque se exhibere soleat.

## CAPUT VI.

### DE VENERE MILICIA.

§. 1. *Venus Milicia. 2. & Silentario sic vocata. 3. Digna hoc cognomine. Cur? mansuetudinis in feris causa.*

#### §. I.

**M**Asculis jam Diis, quos vel antiquitas, vel poetae MILICHIOS nominarunt, consideratis; ad Deas itidem MILICIAS nunc accedere necessarium ducimus: inter quas formosissima, ipso Paridis judicio habita Venus eminet.

§. II. Hanc Paulus Silentarius, epigrammate 22. lib. VII. Anthologiae μειλίχην nominat, ita inquiens: *Εν δέ γαλίνῃ ομήρου*  
*Μηδαλία σπέσι κύπερδι ΜΕΙΛΙΧΙΗ.*  
& ex Eilhardi Lubini interpretatione: *In tranquillitate vero  
Sobria sacrificabo VENERI SUAVI*

§. 3. Digna, si qua alia Dea, hoc cognomine quam maxime Venus, blandiarum omnium olim credita Mater. Verum enim amorem in ipsa etiam amaritudine suavitatis aliquid in se continere nemo facile negabit: ut non immerito amoris Dea dicatur *suavis*. Nonnus praeterea lib. 41. Dionysiae. 186, Venerem mansuetudinis etiam in feris causam statuit: feras immanissimas mansuescentes

enarrans. Et inter alia, ubi de leone mitescenti loquitur, dicit: quod *labio MANSUETO* dorsum osculatus fuerit tauri. Ubi in Graeco textu pro voce *mansueto*, est μειλιχίων. Crebra praeterea Veneris *blandae & mitis* sunt apud Latinos cognomina, *Sectione II.* a nobis memoranda. Hinc citra causam hoc loco prolixī esse non iimus.

## CAPUT VII.

### DE LATONA MILICHIA.

§. 1. *Latona Milichia.* 2. *Sic dicta ab Hesiodo.* 3. *Causa nuncupationis ab eodem data.*

#### §. I.

**L**Atonam, graviter ab irata Junone pressam nullibi terrarum refugium invenientem, ad nos jam gradus dirigentem videmus; speraturam certum, quod alias habuit nullum, asylum. Recipiamus illam benigne: habeat quod speravit asylum. Idque tamen haud absque causa, sed quia Milichia advenerit.

§. II. Jactati nominis abunde nos docebit veritatem Hesiodus, Theogoniae v. 406. Phoebes e Coeo grava factae partum exponens; Latonam jam natam sic describens:

Λητω κυανοπέπλον ἐγείνατο ΜΕΙΛΙΧΟΝ αἰσι.

Latonam caeruleo peplo peperit blandam semper.

§. 3. Causam nuncupationis hujus ipse auctor sequenti versu mox addidit; quod nempe *mitis hominibus & immortalibus Diis* fuerit. Imo ΜΕΙΛΙΧΟΣ εξ αργῆς εἴγαστο. Εντὸς ολύμπου suavis ab initio, imprimis hilare intra olympum. Quod autem poeta, ab initio tantum suavem hilaremque intra olympum fuisse, dicat Latonam; innuere odium ex impraegnatione Jovis contractum Junonis, ejusque non intermissa parturientis jamjam persecutionem videtur. Verum molestias inde profectas aliaque Latona facta hic recensere propositi non est nostri. Milichios hic tantum explicare volumus. Deas, studentes brevitati, coetera aliis permisuri.

CA-



## CAPUT VIII. DE FORTUNA MILICHLIA.

§. i. *Fortuna Milichia; est providentia divina. 2. Orphei & Plutarchi hoc cognomen. Variæ in Plutarcho lectio: quae tamen inanis, Plutarchus interpretatus est blandam tantum fortunam. 3. cur dicta Milichia?*

### §. I.

**F**ortuna nunc arctum hujus capituli locum sibi vindicat Milichia, cui, quae DEI potius providentiae & benignitati debuerat; necno, qua insanía, adscripsit superstítio hominum ipsa fortuna coecior.

§. II. Primus, qui eam hoc cognomento insignivit, quod quidam sciam, Orpheus est, qui in Fortunae hymno v. 2. μειλίχιαν vocavit: eodem eandem elogio mactavit Plutarchus, primo quidem in quaestioneis Romanis, Τύχην μειλιχίαν habens. Ubi tamen Gyraldus aliam lectionem, in graeco quodam Plutarchi codice, vidisse vult: προτύχης μειλιχίας extitisse μειλίδας: quam ipsam vero nihil curare videtur. Deinde in libro de Fortuna Romana, talia, post obsequentiis fortunae mentionem scribens: ιω οἱ μεν πηθησον, οἱ δὲ ΜΕΙΛΙΧΙΟΝ ἔται νομίζονται. Cum autem Plutarchus Blandae cultu apud Romanos cultae fortunae, utroque in loco faciat mentionem: & Graece de rebus Romanorum scribens, eandem μειλιχίαν interpretatus tantum sit, cur eundem hic longius morem, non videmus.

§. III. Si autem Dea aliqua asuis cultoribus hoc jure meruit cognomen, haec certe fuit. Poeta l. c. Plutonis i.e. divitiarum, facit filiam, e cuius sanguine ortam dicit; praebentem aliis possessionum multitudinem opulentam; aliis intolerandam pauperiem: tot hominum precibus fatigata; libera ab omni gratiarum actione. Unde tot inter Romanos ejus aedes, templa, aera suo loco a nobis explicande: quae causa etiam est, cur omnem hic abjiciamus proximitatem.

## CAPUT IX.

### DE SPE MELICHLIA.

§. I. *Spes Milichia. 2. a Silentiaro sic vocata. 3. Communis hominum affectus. 4. Dea apud Romanos. Elogia in lapidibus. 5. Cur Milichia dicta? 6. Non Dea, sed amantis affectus hic intelligendus.*

#### §. I.

**D**ea Spes jam adest, inter Milichias cupiens considerari DEas; honorem quod olim inter DEos recepta fuerit, factura hoc ipso cognomento splendidiorem.

§. II. Et præststit ipfi jamdudum gratiam hanc, Paulus Silentarius lib. VII, Florilegii Graecor. epigr. dicens:

Θελγομας οις ΒΛΠΙΣ ΜΕΙΛΙΧΟΣ εσδιασ  
οculis solum  
Delinior, quibus SPES SUAVIS inhabitat,  
vertente Lubino.

§. III. Dea haec communis alias hominibus affectus esse solet, alens omnes: qui, ubi cor alicujus subit, tristem ejicit molestiam; vana autem spes auræ similis in nihilum mox evanescens, nihil præter tristitiam animis sibi fisis relinquit.

§. IV. Culta autem inter Romanos quam maxime fuit haec Dea, aedem templumque apud eosdem meruit. SPEI INVICTAE, apud Reinesium l. 9, GENIALIS apud Gruterum CII. 2. BONAE apud eundem, MLXXV.i. invidenda leguntur elogia.

§. V. Cur vero Milichia nuncupetur, jam investigandum erit. Quibus animos divitarum, aliorumque bonorum expectatione turgentibus fecit, illis certe Milichia est. Et meruit cognomentum jure optimo: quid enim suavius quam spe nutriti. Spes miseris unicum relictum est solatum: & cui omnia deficiunt, haec tamen minime dcerit. Sola praeterea inter homines bona Dea est; quae coeteris in coelum abeuntibus Diis, sola apud nos manere dignata non fuit.

§. VI. Sed justo forte prolixiores sumus. Deam describentes, quae, in epigrammate allegato, vix Dea esse poterit. Tenerimus

mus potius amantium affectus erit; quo Silentarius ab amica omnem veri amoris effectum; voluptates dulcissimas sperabat. Ille autem ex solis amicae oculis sibi patere scribit; quos etiam tempus spei suae MILICHIÆ, hoc ipso in epigrammate constituit.

## CAPUT X. DE MUSIS MILICHIIS.

§. I. Musæ Milichiae. 2. ab Arato sic dictæ. 3. Ratio eis sic utr  
cataas. §. I.

**H**Elicona clarum suis cantibus locum deseruerunt Musæ, Jovis & Mnemosynes filiae, ultimum inter MILICHIAS DEAS locum caputque sibi vindicaturæ, Parnassumque hic constitutæ novum.

§. II. Ductorem hic non quem alias Bacchum aut Pana; sed Aratum, graecum poetam habent: qui in principio suorum Phænomenarw, Musas boni ominis ergo invocans, Milichias vocat. Sic autem ille v. 18.

χαίρε δὲ μύστας

Milichiai μάλα πάσαν

Salvetevero Musas

SAVISSIMAE OMNES.

Pergit deinde, ut promant sibi omnem cantum, stellasque dicendi.

§. III. Et meruere cognomentum hoc, suaviter ad modum canere scientes. Ovidius scribit:

At mihi Pegasides blandissima carmina dictant,  
Si igitur blandissima potuerint carmina dictare; quidni & blandas ipsae sint. Aelianus praeterea lib. 14. c. 37. variae historiae, id genitusvitae, quod in literis erigitur placatum & mansuetum esse oportere scribit. Nec multum abit jam allegatus Ovidius, canens:

— — — didicisse fideliter artes

Emollit mores, nec finit esse feros.

Si omnem hinc exuant ferocitatem, mores emolliant, reddant placatos & mansuetos, literæ seu Musæ, quid impediat, quo minus blandas, mansuetas, placidas i.e., MILICHIAS, illas nominemus, minime videre valemus.

Cap.

## CAPUT XI. DE DIIS AMILICHIIS.

§. I. Quid sint Dii *ἀμείλιχοι*? 2. Cur ita dicti? 3. Pluto ab Homero sic vocatus. Ejus effigies. Ratio nuncupationis. 4. Parcae etiam a Silentario sic vocatae. Sociae Plutonis. Ratio. Effigies earum. 5. Fatum etiam sic dicitur. Cur? 6. Conclusio sectionis.

### §. I.

**P**lacidis hactenus & mitibus velut delectati Diis; *implacidos*, immites & atroces nunc horremus quasi, quos hic vel invitit producere debemus DEos.

§. II. Dicti autem ita fuere, quod vel ira eorum quam semel conceperant, nullis victimis expiari, placative potuerit: vel quod omnibus suis actionibus imites, duri, atroces sint: ut Fatum & Parcae; vel quod non possint exorari, ad illud, quod receperunt, reddendum; ut Plutonem vocarunt. Quos etiam *ἀμείλιχος* a-  
pud scriptores invenimus nominatos.

§. III. Et primus quidem Pluto occurrit "A*Ιησ αμείλιχος*" ab Homero Iliad. IX. v. 158. dictus, cujus imaginem si inspicias ab Albrico Philosopho descriptam: *Homo terribilis, sedens in solio sulphureo, & juxta se tres Hæpyias habens.* Itemque quae Pictorius Vill. c. 14. Theologiae Mythologicae, (v) addit, quod habuerit nempe juxta se Proserpinam cum fusca facie: *Furias quoque tres horribiles & serpentibus crinitas;* itemque quod sinistra ipsius fuerit anima, quam constringens lacerare videbatur, justum hoc cognitum ipsi tribues. Atrum ipsum, Virgilius dicit; nigrisque vehentem equis, Ovidius. Addit praeterea Homerus: quod propterea hominibus Deorum odiosissimus omnium fuerit.

§. IV. Plutonis jam sociae, in ejus effige, juxta Pictorium Vill. l. c. quinque orci flumina inspicientes Parcae sequuntur. Et primo quidem lib. III. Florilegii, Paulo Silentario est *μοῖρα αμείλιχος* dura Parca. Deplorat autem ibidem juvenem mortuum, quod Parcae nec juventuti ejus pepercrint. Sed ita est: dictae & propterea a Latinis Parcae, quod nulli parcant. Cointo praeterea Smyrnaco, vel ut alias vocari solet Q. Calabro lib. i. v. 585. Parali-

(v) adiectae  
Aurelii Lessig-  
niensis libello  
de Cognomi-  
nibus DEo-  
rum.

pomenas Homeri κῆρες ἀμείλιχοι immites Parcae sunt: quas Achilles Penthesileae superbe & minaciter respondens, reginam hanc Amazonum amplexuras, ipsamque suis manibus peritoram dicit. Non immerito hoc illis nomen datum, qui de iis aliquid compertum habent, dicent. Patet illud uberime ex effigie illarum quam Pausanias lib. V. c. 19. exhibet. Erat nempe foemina dentibus, & aduncis manuum unguibus quavis fera immanior, vertente Amasaeo. Nulli quippe vitae stamina, statuto citius termino, abrumpunt, vel longius extendunt. Et omnia pro ipsis placandis vanâ sunt remedia: Nihil quo exorentur, invenitur: αμείλιχοι jure hinc dictae.

§. V. Fatum postremo succedit ingenti etiam in Deos praeditum vi, & potentia: quodque unum statuerunt cum Parcis gentiles veteres. Quintus Calaber lib. V. habet illud αμείλιχον πόλιμον. Nec citra rationem, nomen hoc illi imposuit poeta. Qui enim vim illius & effectus, quos veteres ipsi adscripsérunt, nōrunt; quomodo exorari non poterat, ut aliter, quam statuerat, res evenirent; quomodo durum plerique illud experti fuerint; quomodo a poetis inexorable, ineluctabile, & aliis similibus vocatum fuerit nominibus, αμείλιχος, omnino dici posse, affirmabunt.

§. VI. Dum autem DEos μελιχίας & αμείλιχας ad finem jam perducimus, & clausulam sectioni huic primae imponimus; abs re haut erit, sterilitatem junctam brevitati ultimorum praesertim capitum hic excusare. Provenit illa ex scriptorum silentio, in quibus nihil, quae ad palatum nostrum, simulque ad materiam hanc facerent, invenire potuerimus. Suggessere nobis tamen poetæ loca a nobis allegata, quae dum emittere nefas duceremus, pauca, quam nihil dixisse, sufficere nobis visum fuit. Integrans praeterea DEorum singulorum historiam, ad naufragium usque a tot Mythographis traditam hic repetere, eaque Dissertationem reddere ampliorem, nec instituti nostri, qui μελιχίας tantum hic explicare volimus, pati id videbatur ratio. Excusatos hinc factis nos credentes, laetiori ad secundam sectionem nos convertimus.

## SECTIO II. DE DIIS INTER ROMANOS BLANDIS, MITIBUS, PLACIDIS.

### CAPUT I.

#### DE DIIS BLANDIS.

§. I. *Blandus idem ac μελίχις. 2. unde sic dicti? 3. vocatus sic Apollo. Cur? 4. Juno 5. Venus. Perpetuum hoc ejus epitheton. 6. Fortuna. Templum a Servio conditum. ubi fuit? 6. Thetis.*

#### §. I.

**D**eos, quos μελίχις vocarunt Graeci, Romani interpretatione quadam convenienti *Mites*, *Blandos*, *Placidos* dixerunt, ex quibus hoc capite considerandos nobis sumsimus DEos *Blandos*.

§. II. Dicti autem fuerunt *blandi* non ea, qua homines sic vocare solemus singificatione; sed quod proni, propitiique hominibus sint, annuantque eorum precibus.

§. III. Occurrit, quem sic vocarunt poetae, primus Appollo, qui P. Papinio Statio lib. V. Sylvar. in Epicedio patris v. 124. *Blandus* est: nec alienus adeo ab hoc ipso cognomento videtur esse. Sive enim illum consideres, ut solem, (qui a veteribus habitus fuit) igne suo omnia fovens, fructus producens, merito *blandus* erit: Sive inspicias tanquam Musarum praesidem, vel arcu potentem DEum, nec hoc indignus erit elogio. Tempore quodam in terras deveniens homines sylvestribus fructibus viventes, ac ferarum more, mansuetus fecit. Ut habet Nat. Com. Lib. IV. Mythol. c. 10.

§. IV. Junonis alias iratum, saevum, ferox numen succedit: quod Statius tamen in epistola ad Serenam, *Blandum* vocavit. Sed fortassis ea ratio erit; quod blanda fuerit in Orpheum, qui numina ejus cecinit, quod ipsum poeta innuere etiam videtur.

§. V. Blanditarum mater ab eodem Statio lib. II. Sylvar. in Genethliaco Lucani v. 84. *Blanda* Venus vocatur: cui etiam assentitur Ovidius lib. III. amor. eleg. 1. v. 55.

Nos

Nos tibi BLANDA VENUS, puerisque potentibus arcu  
Plaudimus.

ad quae Brochardus Cnippingius perpetuum hoc Veneris epitheton  
esse annotavit.

§. VI. Fortunam praeterea, quam Plutarchus duobus  
supra allegatis locis μελιχίας vocavit, nullam aliam quam  
Romanorum Blandam esse, certum est. Tacitus saepius verbum  
blandiri de fortunæ actionibus usurpavit & quidem Histor. lib. 2.  
c. 12. *Blandiebatur coeptis fortuna.* Et Publili mimus: *Fortuna*  
*cum blanditur, captatum venit.* Condidit Fortunae huic tem-  
plum Servius Tullus Romanorum rex, *vim fortunae efferens,*  
*omnibusque suam actionibus inscribens*, vel ideo maxime; *quod ini-*  
*tio humilis & obscurus, matre natus captiva, Fortunae beneficio ad*  
*regnum Romae electus fuerit*, sicut Plutarchus in quaestionebus  
Romanis habet. Hoc Fortunae templum Ludovicus Vives in-  
notis ad Augustini lib. IV. c. 18. de C. D. in Aventino fuisse scri-  
bit.

§. VII. Thetis adhuc consideranda supereft, a Statio l. i. Achilleid.  
v. 339. blanda vocata. Qua ratione autem a poeta id factum fu-  
erit, minime consequimur posse necessum habeo, fateri: nisi forte  
Thetin pro mari, blandamque pro placido positum fuisse dica-  
mus. At merac haec sunt conjecturae.

## CAPUT II. DE DIIS MITIBUS.

§. 1. Cur mites Dii? Quinam Ovidio? Petronio? 2. Augustus fu-  
it. 3. Bacchus mitis duplex loci Virgiliani interpretatio. 4. Ve-  
nus mitis. 5. Diana. 6. Somnus. 7. Aesculapius. 8. Quaenam  
Statio mitis Nympha. 9. Clementiae mitis ara Athenis 10. Mi-  
tis Concordia. Quae Charistia?

### §. I.

MITES Romani ideo dixerunt DEOS, quod vel sibi precarentur  
benignos, & lenes, vel tales jam extarent. Ovidius ideo  
illos sic nominavit, ut sibi propitium reddant Caesarem Augustum;  
sic enim lib. III. de Ponto, epistola 9. v. 27.

Atque ita DII MITES minuant mibi Caesaris iram.

(φ) Tomo II.  
p. 304. editio-  
nis quam Gal-  
lus anonymus  
eum versione  
& adnotatio-  
nibus suis Gal-  
licis Coloniae  
(sive verum est)  
1694. in 8. e-  
ditio.

Verum Petronius (φ) in carmine de Bello civili, quod in Satyrico ejus extat, dum scribit:

*MITIS turba Deum, terras exosa furentes  
Deserit.*

Pacem, Fidem, Justitiam, Concordiam, quos sequentibus in versibus nominat, per mitem Deum turbam intelligit. In notis per mitia haec Numina pacifica & armorum inimicissima intelligi dicitur.

§. II. Eidem huic poetae multis in locis *Mites* invocantur Dī. Sed non immerito quaeritur; quinam isti fuerint? ex communi ejusdem interpretum opinione, Caesarem per eosdem intellexisse poetam, respondemus: cui, ut citius ab exilio liberetur, elogii hisce divinis post mortem alias imperatoribus tantum datis, blanditus fuit. En! autum ipsum loquentem primo quidem I. II. de Ponto ep. 9. v. 51.

*Annuite o timidis MITISSIMA NUMINA votis.*  
& iterum ibidem ep. 1. v. 48.

*Cur ego posse negem, minui mihi Caesaris iram;  
Cum videam MITES hostibus esse Deos?*

§. III. Bacchum quoque hoc cognomine insignitum apud autores legimus. Describit Ovidius Midam, quod, dum omnia, quae attingeret, aurum siebant, dives, simul & miser sit, resipiscerent & Bacchum orantem, ut beneficium, quod dederat, auferret. Dicit deinde lib. XI. Metamorph. v. 134.

*MITE DELIM NIMEN BACCHUS peccasse fatentem  
Restituit, pactaque fidem data munera solvit.*

Et omnino *mitis*, imo *mitissimus* fuit, Midae toties preces & optata sua mutanti, annuens tamen Bacchus. Idem Ovidius lib. III. Fastor. v. 789. de Baccho locutus, invitat eum his verbis:

*MITE caput pater hue: pactaque cornua vertas.  
Eodem a Virgilio lib. 1. Georg. ornatur epitheto,  
Cui tu lacte favos, & MITI dilue Baccho.*

Quamvis enim plerique locum hunc de vino intelligent, & omnino etiam primo intuitu sic videatur; ipse tamen Servius ad haec Virgilii verba, esse quosdam dicit, qui hunc locum aliter accipiunt, ut *MITI BACCHO sit datus casus & duo numina intelligenda Liberi & Cereris*. Nam supra quoque ait: *IMPRIMIS VENERARE DEOS*, ut sit sensus;



*sensus; cui Cereri & miti Baccho favos lacte dilue, i. e. ei sacrificia  
melle & vino permixtis.*

§. IV. Quae MILICIA, quae BLANDA fuerat, eadem quoque  
MITIS est Venus. Vocavit hoc nomine illam Statius lib. III. Sylv. in  
Coma Earini v. 3. cui ibidem est *mitis Cytherea*, Tibullus eleg. X. lib. I.  
*Sed manibus, qui saevus erit, scudumque sudemque*

*Is gerat & MITI sit procul à VENERE.*

Nihil nempe Veneri *miti* cum bellum amantibus, saevis, sanguino-  
lentis. Mites amat in suis castris habere; mitigat etiam feroce, quod  
Gallus innuere videtur, eleg. V.

*Sanguineus per te Mars quoque MITIS erit.*

Tibullus praeterea lib. II. eleg. 3. canit:

*Tum quibus aspirabat amor, praebebat aperte*

*MITIS in umbrofa, gaudia valle VENUS.*

§. V. Diana autem immitis alioquin Dea, & immanis, Sene-  
cae item aspera vocata in Medea:

*Nec non qui tripodas moveat*

*Frater virginis asperae.*

cur hic appareat, haud equidem scio, nisi fortassis quatenus partuē  
praeest, ut in hoc mitis adesse velit, a parturientibus sic vocata fue-  
rit. Statius autem lib. IX. Thebaid. v. 712. *mitem* eam dixit. Qui  
etiam lib. IX. v. 632. *mitem* Dictynnam eam nominavit, ubi Barthius  
Tomo III. p. 1045. ex veteribus scholiis dicit, ideo seilicet *mitem* di-  
xisse, quatenus sua vota exaudiverit.

§. VI. Idem poeta lib. X. Thebaid. v. 120. somnum mitissi-  
mum vocat; qua autem ratione id fecerit sequenti in capite plenius  
explicabimus.

§. VII. Idem lib. III. Sylvar. in Coma Earini v. 25. scribit: *Mit-  
is DEus salutifero incubat angui. Aesculapum hic intelligi, nemo  
non videt. Ovidius enim in serpentem ipsum mutatum fuisse l.*  
XV. Metamorph. tradit:

*Hunc modo serpentem, baculum, qui nexibus ambit*

*Perspice: & usque nota visu, ut cognoscere possis.*

*Vertar in hunc.*

Deinde v. 670.

*In serpente DEus praenuncia sibila misit.*

Serpentes autem in ejus tutela crediti sunt, & gestamen putatus fuit baculus serpente involutus, ut scribit Natal. Comes lib. V. Mytholog. c. II. *Mitis* vero dictus fuit, quod Medicinae Deus esset, hominibus aegrotantibus suis praesens auxiliator medicamentis.

§. VIII. Quae autem Nympha *mitis* ab eodem Statio scripta lib. II. Sylvar. 3. v. 290.

*Sic sacra Numae ritusque colendos  
MITIS Aricino dictabat NYMPHA sub antro.  
fuit alia, quam Aegeria Numae ritus sacrorum tradens? Mitis du-  
bio procul dicta, quia*

*Gentem feroci*

*Affuetam bello pacis traduxit ad artes.*

Quamvis enim Ovidius de Numa id scribat; nec Aegeriae id abjudicandum esse existimo. Omnia enim quae statuebat, ad Nymphae hujus autoritatem referebat.

§. IX. Clementia jam mitissimum miseris numen adest, de quo Statius lib. XII. Thebaid. v. 491.

*Urbe fuit media, nulli concessa potentum*

*Ara DEum mitis posuit Clementia sedem:*

*Et miseri fecere sacram &c.*

Huic, sicuti poeta sequentibus in versibus habet, non thure, non sanguine, sed querelis, & lacrymis litabantur. Nulla DEae hujus effigies erat; cum cordibus potius hominum, quam metallo illam imprimere gauderet. Herculis posteros aram hanc posuisse fama erat; Papinius tamen ad DEos potius referendum id putat. Barthius praeterea in notis ad Statium tomo III. p. 1504. In ipso urbis foro aram hanc, constitutamque non solum Atticis, sed omnibus omnino hominibus, opus habentibus fuisse tradit. Sic Heraclidas ab Eurystheo pressos, confugisse ad illam e Zenobii Cent. II. Prov. LXI probat.

§. X. Concordiam etiam DEam, omnia suavi continentem nexus; pacata & placida omnia reddentem mitem, Ovidius lib. II. Fastor. v. 631. vocat;

*Concordia fertur*

*Illa praecepue MITIS adesse die.*

Dies autem illa erat XI. Calendis Martii h. c. XIX. Februarii dies,

*quo*

quo inter feralia pro mortuis sacrificia convivium siebat, cognatos  
inter & affines; quod *Charistia* appellavere.

## CAPUT III. DE DIIS PLACIDIS.

§. I. *Quinam Romanis Dii placidi?* 2. *Jupiter sic dictus.* Cle-  
mentia ejus. Rivini in Ovidio alia lectio notata. 3. Juno pla-  
cida in lapide. Conjecturae in eum. 4. Alia Veneris placi-  
dae in Grutero. *Lapis mutius.* Auctior in Reinesio. 5. Hercules  
placidus. Placifer. Sponius a Cupero correctus. *Cur Hercules*  
*sic dictus?* 6. Fortuna placida. Respiciens. *Quinam Dii Respi-  
cientes?* 7. Somnus placidissimus DEorum. 8. Inferi Dii  
placidi. *Cur?*

### §. I.

**D**uos qui vocarunt *placidos*, Romani, blandos mitesque simul re-  
spexerunt. Nec id statuere adeo absurdum erit. Unum enim  
idemque esse, qui modo perfunctorie DEorum horum iaspexerint  
historiam, intelligent.

§. II. Jupiter DEorum tex, qui quoque primum sibi vindicat locum, *μελίχι* Graecis, Romanis *placidus* dictus fuit. Nominis  
hoc conspicuum eum habet Claudianus in tertio Honorii consu-  
latu; ubi Barthius in notis p. 528. dicit: ideo eum sic dictum fuisse,  
quod in illo summa potestas, quae inimica omni tumultui, iracun-  
dia, violentiae. Propertius Eleg. 16. lib. II. rationem simul nuncu-  
pationis addens:

*Non semper PLACIDUS perjuros videt amantes*

*Jupiter, & surda negligit aure preces.*

Clementiae DEi praeterea causam aliam habet Ovidius lib. II.  
Tristium, Eleg. I. v. 34.

*Si quoties peccant homines, sua fulmina mittat*

*Jupiter, exiguo tempore inermis erit.*

Ubi pro *inermis* erit, legendum *mitis* erit ex Jacobo Magno de mi-  
sericordia & justitia, Andreas Rivinus in notis ad Pervigilium  
Veneris Auctoris incerti contendit; sed non adeo convenienter.  
Ovidium enim de fulminibus armis Jovis locutum, si haec omnia  
emit-

emitteret, inerem futurum Jovem potius dixisse quam mitem; probabilius est sententia. Praeterea dum non emittit, mitior potius est, quam si emitteret; quo ipso immitis fieret.

§. III. Jovi Juno succedit soror fratri, marito uxori; in nullis quidem poetarum locis, hoc nomine clara extans; Grutero tamen XXV. 2. e Boissardi Antiqq. in lapide ad hortos Bellaianos Romæ existenti sic dicta:

JUNONI PLACIDÆ.  
CONSERVATRICI AUGUSTÆ.  
CLAUDIA SABBATIS.  
BULLAM D.D.  
ADDIT. ET. SCYPHUM. ET.  
TRIPODEM FORTUNAE AUG.

*(x) edit. Patav.*  
*1654. in 4.*

Junonem placidam, quia parturientium DEa, esse dictam credo: cum & alias mitis *Lucina* vocata fuerit. Et, si conjecturis locus aliquis dandus, hanc ipsam de Junone parturientium DEa loqui inscriptionem, ferme affirmaverim. A muliere Claudia Sabbatide dedicatus lapis cum Bulla id innuere videtur: quamvis Jacobus Philippus Thomasinus c. II. de Donariis, (x) ubi bullæ Junoni dedicatae meminit, qua ratione illud potissimum factum, non indicet. Sed nūl nisi conjecturæ sunt, veritatem pro fundamento non habentes, nec ulli ideo obtrudehdae.

§. IV. Junonem Venus excipiat Grutero LIX. 9. in Basi morea vineae Cardinalis Carpensis, Romæ extanti, placida vocata;

VENERI PLACIDÆ.  
SACRUM.

Accepit hanc epigraphen Gruterus a Smetio, sed multis mutilam: auctiorem enim majori parte illam a Marquardo Gudio sibi communicatam, dedit nobis Reinesius in Classe I. Inscript. CCXLVI. p. 227. Syntagmatis. Aediculam Veneri huic *placidae* in regione V. fuisse Thomasinus de Donar. p. 122. tradit.

§. V. *Placidum* qui nobis Herculem sistit, idem Gruterus est, qui XLIX. 9. e Boissardi Antiqq. Herculis imaginem exhibet cum hac Epigrapha:

HER-



## HERCULI. PLACIDO.

JABOLENUS. AUG. LIB. D.

Gisbertus Cuperus (φ) placidum Herculem vocari, quod etiam inter epitheta ipsius occurrat, in Harpocrate p. 81. scribit: a quo ject. ad Rhem. Placifer descendat. Ubi simul inscriptionem: HERCULI PACIFERO, apud Sponium corrigit, & vulgatam ibi potius scripturam retinendam esse evincit:

## HERCULI. SANCTISSIMO.

PLACIFERO. SACRUM.

Fuit autem praecipue sic vocatus, vel, quod communis ipsi cum Musis ara esset, unde & apud Gruterum MXIII, 4.

## HERCULI.

PACIFERO.

ET. MUSIS.

Quae Musae omnino placidae fuerunt; vel ex simulaci formā, quod Gruterus simul exhibet. Ubi Hercules nudus, humero sinistro sustinens pellē leoninam; dextram manū immittit floribus cornucopiae. Clavam ejus tenet dextra humi sedens Paniscus: sinistra larvam ostentat. Facet ad pedes hinc cornucopiae; inde caput Attidos mitrati.

§. VI. Fotunam nunc quatenus placida est, considerandam habemus. Eam nobis Reinesius, Cl. i. inscript. CCIX. p. 206. ex ineditis Lucae Holsteni, sistit:

## FORTUNAE

PLACIDAE.

Ubi eruditissimus Reinesius, eandem videri posse cum Fortuna respiciente, cuius apud Gruterum LXXIX, i.

## FORTUNAE.

AUGUSTAE

RESPICIENTI

M. AUR. CTESIAS.

JUNIORE. EX. VISU.

Itemque apud eundem MLXXII. 6. MLXXIX. 9. mentio fiat, existimat. Barthius in notis ad Statium tom. II. p. 721. Respicienes DEos esse fortunatos facientes homines affirmit: quae ad Fortunas

E tunam

tunam *responsible*, & Juxta Reinesii sententiam, etiam ad *placidam* faciunt quam maxime, causamque simul, cur ita dicta facit Fortuna, promunt.

§. VII. Suavem nobis quietem procurans, PLACIDISSIMUS practerea restat Somnus. Statius lib. V. in hymno somni, ita cum vocavit:

*Crimine quo merui Juvenis PLACIDISSIME Divum.*

Cum quo Ovidius omnino lib. XI, v. 523. Metamor. convenit:

*Somne, quies rerum, PLACIDISSIME somne DEorum.*

Imo vetus epigramma a Baethio Coloniae descriptum, eodem Somnum epitheto ornat: sic enim incipit:

*Ille PLACIDUS noctu tibi Morpheus adsit &c.*

Adeo somno *placidus* cognomen proprium esse videtur. Ubique enim Ovidius somni meminit, *placidus* simul adest; quod saepius in Fastorum & Tristium libris occurrit. Et cur invide remus illud ipsi, membra lassata reficieni, & addenti vires quasi novas? Non immerito hinc *svavissimus humanae vitae conservator*, vocatur in Lapide Lindaviensi, Thomasino eleganti, Gruterio vero LXVII. 9. suspectae vetustatis:

DIIS. MAXIMIS  
BACCHO. ET. SOMNIO  
HUMANAE. VITAE  
SVAVISSIONIS  
CONSERVATORIB.  
SACRUM.

§. VIII. Inferi Dii capiti huic imponant finem, vitae quandoque facientes. Silius Italicus sic de illis, libro VIII. de Bello Punico:

*Dii longae noctis, quoram jam numina nobis  
Mors instans majora facit, precor, inquit, adeste,  
Et PLACIDI viatos ardore admittite Manes.*

Vocati autem *placidi*, boni tantum omnis causa, prout supra sectio ne I.c. i. §. 13. ab Orpheo μελιχιον nominati fuerunt. *Tesi*

**CAPUT**

## CAPUT IV.

### DE DIIS IMMITIBUS, IMPLACIDIS ET IMPLACABILIBUS.

§. I. *Cur immites, implacidi? implacabiles vocati Dii?* 2. *Cur Lucano ita dicti?* 3. *Quis puer immitis Senecae.* 4. *Teutates immites.* 5. *Diana.* 6. *Mars implacidissimus.* 7. *Pluto implacabilis.*

#### §. I.

**Q**ui αἰσιλίχες supra explicavimus; *immites, implacidos, implacabiles*, hic illustrabimus DEOS. Hos, ab immanni, quam fevebant, ira, crudelitate summa, occlusis precantibus auribus ita dictos fuisse, extra omnem dubitationis aleam est positum.

§. II. Cato apud Lucanum lib. II, *immites DEos ideo nominavit, quod civili bello universo Romanorum sanguine litarisbi voluerint: sic enim fatur:*

*IMMITES Romana piacula divi  
Plena ferant: nullo fraudemus sanguine bellum.*

§. II. Puerum etiam *immitem* vocatum fuisse, quidam fortassis mirabuntur, multum admirationi tamen decedet, ubi, quis puer sit? cognoverint. Ita autem Seneca in Hippolyto v. 330.

*Sacer est ignis, (credite laesis)*

*Nimiumque potens. Qua terra salo*

*Cingitur alto, quaque aetherio*

*Candida mundo sidera currunt;*

*Haec regna Puer tenet IMMITIS.*

Cupidinem hic potentissimum DEorum intelligi luce clarius est meridiana. Immitis adeo hic DEus est, ut nullo habito respectu, tela sua immittat: nec ipse rector paterque DEorum liber ab ejus crudelitate, cui etiam coetera succumbunt numina, manere potuerit.

§. IV. Teutates equidem DEus inter Gallos supremus vix inter Romanorum referri deberet numina; nisi ipse quoque *immitis*, a Lucano lib. I. vocaretur. Sic enim ait:

*Et quibus IMMITIS placatur sanguine diro  
Teutates.*

Dictus autem sic fuit; quod ipsi humanis hostiis litaverint Galli, ut Caesar lib. VI. Belli Gallici scribit.

§. V. Idem Lucanus c. i. Dianam immitem sifit, Tauricam tamen. Ita autem ille:

*Et Scythicae NON MITIORara Dianaæ.*

Deae hujus iracundissimum, & ultionis studiosissimum numen habitum, a Barthio in notis ad Statium tomo II. p. 657. docemur: tradunt idem Poetarum & Historicorum veterum plerique. Immanissima autem dicta, quod dum Tauri apud Scythes pro votis illi advenas, & naufragos maxime immolverint, nec id prohibere voluerit.

§. VI. *Sextio* praeterea lib. IX. Thebaid. v. 4. Mars nominatur *IMPLACIDISSIMUS Deorum*, quod etiam Martis esse elogium Barthius ad hunc locum, Tomo III. p. 946. ffiggerit. *Crudelissimus* etiam *Deorum* habitus: de quo idem auctor lib. X. v. 550.

*Dira intus facies; vix Mavors ipse videndo  
Gaudet.*

§. VII. Cui infernum olim in divisione regnorum paternorum forte contigit, ultimam sectionis hujus occupat partem Pluto. Est ille Senecæ in Oedipo v. 394. *Ditis IMPLACABILE Numen.* De quo cum c. 13. §. 3. Sect. I. plura dicta fuerint, ea hic iterum repeterem, veremur merito.

## SECTIO III.

### DE IIS, QUAE NOMEN A MEΙΑΙΧΟΣ MUTUATA SUNT.

#### CAPUT I.

##### DE PANCRATIASTERUM INSTRUMENTO MILICHA.

§. 1. *Μειδίχαι instrumentum Pancratistarum.* Pausaniae descrip.  
tio. 2. Petri Fabri. 3. Silentium Scriptorum Gymnasticorum.

#### §. I.

**M**ilicharum singularis in Pancratio instrumenti mentionem facit Pausanias Lib. VIII. c. 40. Τοῖς δὲ πυκτεύουσιν τοῖς ἐν πλατείᾳ τοῖς

τηγκαῦτε ὅμιλος ἔχος ὅππι τῷ καρπῷ τῆς χειρὸς εἰναρέργες, εἴλλοι  
ταῖς μαλίχαις ἐπὶ ἐπόκτενον, τῶν τὸ κεῖλον δέοντες τῆς χειρὸς, οὐα  
οἱ δάκτυλοι σφίσιν διπολεῖτωται γυμνοί. Οἱ δὲ ἀνθεῖας ἥμεῖς ὑ-  
μάντες λεπτοὶ τρόπου πιὰ ἀρχαῖον πεωλευμένοι διὰ μαλίχων ἡσαν  
αἱ μαλίχαι. Quod Romulus Amasaeus ita vertit: Nondum in-  
stituerant pugiles Creugas Dyrachinus, & Damoxenus Syracusa-  
nus, caestus, attenuato in acutum loro, ad utriusq[ue] manus  
articulum, (quem Graeci καρπὸν vocant) religare: sed e crudo bo-  
vis corio, implicatis arte quadam vetere inter se lorulis (*MILICHAS*  
appellabant,) & ad volas revinetis depugnabant: quo siebat: ut di-  
giti nudi relinquenterunt.

§. II. Petrus autem Faber lib. I. *Agonisticon* cap. 9. circa finem  
haec de *Milichis* habet: *MEILICHIARUM* usum profecto, quorum  
loco caestus successerint Pancratiasis denegatum asseverare nolim;  
quas e corio bubulo tenues quasdam corrigias, traditur. Quando  
ipsi brachiorum prehensioni ad luctam, utpote nudis relictis digitis,  
ipsarum *MEILICHIARUM* usus officere non potuit, sicut caestuum.

§. III. Scriptores tamen, qui de arte Gymnastica integros  
condidere libros, *Milichas* per oblivionem praetermisserunt, ut Hie-  
ronymus Mercurialis, qui ne verbum quidem de iis habet: quod  
ipsi etiam Faber c. I. exprobrare videtur.

## CAPUT II.

### DE FLUMINE ET FONTE MILICHIS.

§. I. *Fons Miliche Syracusis.* 2. *Cluveri de ea locus.* Cur  
ita dictus? 3. *Fluvius Milichius*, primo absq[ue] nomine. *Ami-*  
*lichus post d[icitu]s?* Cur? deinde *Milichus.* 4. *Fluxus ejus.*  
*Sponio visus.*

#### §. I.

**P**linius lib. III. cap. 8. *Hist. Nat.* scribit, quod in agro Syracusa-  
no *Fons Miliche* potetur.

§. II. Meminit etiam fontis hujus Philippus Cluverus lib.  
L. c. 12. §. 13. (ω) Vocari illam *la Pismotta*, & sapore & salubritate  
omnes Syracusani agri praestare idem tradit. Unde & nomen ei

(ω) edit. quam  
Joh. Buno con-  
tractam dedit  
Guelferbyti  
1659. in 4.

quaesitum putant Μελίχην κρήνην i. c. fons suavis atque mellitus.

§. 3. Pervenimus nunc ad Graeciae fluvium *Milichum*. Praeterlabitur ille Triclariae Diana templum; a qua nomen etiam, cum antea haberet nullum, accepit, Amilichus dictus. Causa appellationis hujus, virgo & puer iratae Diana mactati fuere; quod sacrificium cum postea, Euripylo novum adducente Deum, seque insania liberante desineret; mutato nomine Milichus appellatus fuit, ut habet Pausanias lib. VII. c. 19.

§. 4. Fluvius hic Neptuni Fanum & Patras interlapsus, haud procul a Rhio promontorio se in mare exonerat: prout vi-deri est e CluverI tabula Peloponesi. Cujus Sponio visa ad-huc (sicut appetet) fuere rudera. lib. V. enim p. 5. Itinerarii vetu-stum aquae ductum, arcubus quibusdam innixum; infra quos ri-vilus, incertum, an Milichus? manaverit; cum Patras proprius ac-cesserint se vidisse testatur.

## CAPUT III. DE HOMINIBUS MILICHIIS.

§. 1. *Milichus Taciti quis fuerit. 2. Martialis. Ejus ficta no-mina. Varia lectio. 3. Jacobus Milichus. 4. Brevis ejus vitae recensus. 5. assumptum nomen Milichus.*

### §. I.

Primus, qui MILICHI meminit, Tacitus est. Is MILICHUM Libertum Scevini Pisonianam conjurationem Neroni in Servili-anis hortis detegentem sifit: a quo etiam praemiis ditatus, Conservatoris sibi nomen, Graeco ejus rei vocabulo assumpsit. Annal. XV. c. 54 & 71. Legit tamen Jacobus Gronovius in MSto *Mali-chus*.

§. II. Martialis praeterea lib. II. epigr. MILICHUM adducit; qui quamvis ipsi centum sestertia, sola ea tamen amicae dedit  
*Sola tibi fuerant sestertia MILICHE centum*  
*Quae tulit e sacra Leda redenta via.*  
*MILICHE luxuria est, si tanti dives amares.*  
*Non amo jam dices; hoc mage luxuria est.*

Sed



Sed verum hoc nomen fuisse viri alicuius vix adduci possum, ut credam. Notum enim e Mattheae Raderi ad eundem Commentario p. 72. quod non vera, sed ficta suis praeposuerit epigrammatibus poeta, nisi cum laudaret nomina. In Aldina insuper Martialis editione, *Melichus* positum est. Sed nos aliorum magis editiones, qui omnes *Milichus* habent, secuti; magis certam hanc prae illa habemus lectionem; cum idem sit ac *Placidus*: quod nomen in Iapidibus, una cum *Suavi*, *Jucundo*, *Mansueto* apud Gruterum occurrit.

§. III. Claudat denique Dissertationem hanc Atavus noster JACOBUS MILICHIUS, celebris in Academia Wittebergensi Medicinæ Professor, cuius vitam Melchior Adami in Vitis Germanorum Medicorum descriptam nobis dedit; nosque brevem ejus recensum hic exhibitari sumus.

§. IV. Patre consulari apud Friburgenses Viro, (cujus praecipius ibidem Magistratus, ad filium, Jacobi fratrem, haereditario quasi jure transiit) 1501. Friburgae Brisgoiae natus fuit Jacobus noster. Studiis in Academiis patria, & Viennensi egregie expolitis; inter primos Matheos Wittembergae restauratores extitit. Publice ibidem docendi munere accepto, medicam vel primus revocavit, & ad fontes Graecos reduxit artem. Insigni simul pietatis studio celebris; correptus apoplexia, Wittebergae 1559. placide obdormivit: Henrico postea ex filiis Jenae Professore constituto.

§. V. Ratio autem, cur quidquam de ipso hic memoraverimus, vel ipse Milichius est. Ab initio enim sic vocatum fuisse, vera haud est sententia. Vivebat eo aevo, Melanchtonianum ferme dixerim, quo literatorum quisque e Germanis, Graeca sibi fingebat nomina: quibus ut Jacobum nostrum annumeremus probabiliores adsunt causae. Quale autem prius habuerit nomen, nondum nobis innotuit: quamvis Adrianus Beierus in Syllobo Prof. Jenens. & ab eo seductus, Clarissimus Joh. Mollerus in Homonymoscopia, die Feigen (a ficubus) olim audiisse, sed falso asserant. Verum abrumpendum aliquando filum, ut

Dissertationis finis sit.

S. D. G.

Co-



*AK TH 674* COROLLARIA.

I.

Studio sum Politices, cum decet, tum ornat  
antiquitatum Graecarum & Romanarum peri-  
tia.

2.

Christiana pietati non repugnat, Deastro-  
rum historiam describere.

3.

In cultu gentilium Deastrorum etiam, quae  
vera sunt, occurrunt, & Christianis prodesse  
possunt.

4.

Dei bonitas & benignitas, omnibus gentibus  
ex lumine rationis innotuit.

5.

Providentia Dei circa respublicas etiam genti-  
libus agnita fuit.

6.

Notitia status reipublicae magis ex historia,  
quam jure civili comparari potest.



1077  
M 5

